

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1587.

Ut in Sclavonia termini Octavales serventur.

A r t i c u l u s 32.

In Sclavonia quoque serventur termini Octavales, fiantque in eis judicia.*Ut et Sclavonia suam Commissionem effectuet.*

A r t i c u l u s 34.

Item, Sclavonia quoque ad effectum perducatur suam Commissionem; de qua superiori Anno Octuagesimo secundo conclusum fuit.*In Sclavonia onera aequaliter ferenda, in intertentione Haramiarum.*

A r t i c u l u s 36.

Item statutum est; ut in Regno Sclavoniae, quod ad intertentionem Haramiarum *) attinet; omnes illi Status et Ordines, aequalia onera ferant.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM V. ANNI 1593.

Denominantur Perceptores et Erogatores Contributionis.

A r t i c u l u s 8.

§. 1. In Partibus superioribus Regni: Magnificum Dominum Sigismundum Rákóczy: In his autem Comitatus Cis- et Ultra-Danubianis usque ad Sclavoniam, Magnificum Dominum Stephanum Illésházy: In Sclavonia vero, Magnificum Dominum Nicolaum Istvánffi.

Pro Sclavonia deputantur ejusdem Regni subsidia, cum decem millibus florenorum ex Ungaria.

A r t i c u l u s 9.

Pro Sclavonia ordinantur subsidia ejusdem Regni propria:

§. 1. Item ex contributione Regni Ungariae, Domini Deputati, nempe Dominus Illésházy et Dominus Rákóczy, pro auxilio dabunt ad manus Domini Deputati ejusdem Regni Sclavoniae decem millia florenorum, qui eos ad defensionem ejusdem Regni erogabit et convertet.

Supplicant ultroneè, pro autoritate Domini Bani.

A r t i c u l u s 20.

Supplicant quoque Status et Ordines; ut Domino etiam Bano numerum militum augere et stipendia emerita persolvere, eique suam autoritatem et in earum partium Capitaneos potestatem dare dignetur.

*) Qui dicuntur Haramiae, invenies in Rubric, Jur. Ung. ad b. art.